

**www.e-rara.ch**

**Positionum historico-politicarum ex C. Taciti Annalium Lib. I.  
pentecostys XIII**

**Hofmann, Johann Jakob**

**Basileae, [1695?]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22784>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

POSITIONUM  
HISTORICO-  
POLITICARUM

Ex

C. Taciti Annalium Lib. I.

*Pentecostys XIII.*

Quam

*DEO Ter Opt. Ter Max. opitulante*

Scitu ac consensu Sapient. Ordinis

PHILOSOPHICI,

P R Æ S I D E

D. JOH. JAC. HOFMANNO,

Historiar. P. P.

Eruditis excutiendam proponit

*Horis & loco solitis,*

JOH. JACOBUS FREYBURGERUS, Basil.

Philosophiæ Candidatus.

*Ad Diem 17 Aug. M. DC. XCV.*



BASILEÆ, TYPIS JACOBI BERTSCHII



HISTORICO  
POLITICARUM

C. Taciti Annalium Lib. I.

DEO

PATRONIS SUI

EX SACRO FONTE SUSCEPTORIBUS,

PARENTIBUS

ET AMICIS.

JOH. JACOBUS FREYBURGERUS, BARR.

MDCCCLXXV. MDCCLXXV.



MDCCCLXXV. MDCCLXXV.



Σὺν Θεῷ.

PENTECOSTYS XIII. POSITIONUM  
ex C. Taciti Annal. lib. I.

SECTIO PRIOR.

I.



Iximus aliquid de Titulis Principum Magnatum-  
que in *præcedentibus*: quos auctoritati concilian-  
dæ adhibitos extra dubium est; sed & nata-  
lium obscuritati aliquando velandæ.

II.

Sic Maximinus, Barbaricæ origini dissimulandæ, cùm  
Imperator evasisset, *Cajus Julius Verus Maximinus* dici voluit, ut  
ex vett. Inscr. liquet. Uti Diocletianus eadem de causâ ob-  
scurum *Dioclis* nomen, in *Diocletiani* magnificentius, conver-  
tit.

III.

Origo horum omnium videtur arcessenda ex Deorum  
Gentilium *πλουτυμίας*.

IV.

Ita enim apud Tragicum, qui Palladem preces ad Jovem  
Patrem fundentem introducit, legimus inter alia, *Δός μοι πο-  
λυωνυμίην*, *Da mihi multinominium*.

V.

Hoc est, da multis nominibus, cognominibus, epithe-  
tis, inter homines, mei cultores, celebret. Unde tot nomina  
Deorum Dearumque quibus Scriptores antiqui referti sunt.

A 2

VI. At-

## VI.

Atque huic appellationum pompæ sine dubio à nominibus ac epithetis uni ac vero Deo passim in Scriptura tributis, occasio fuit, quibus conceptus nostros inadæquatos *de infinito Deo* exprimere nos Spiritus S. docet.

## VII.

Aliquid verò malignitatis præfætæ *πολυωνυμία* subesse, vel hinc patet, quòd nimis laudibus fascinum inesse & invdiam apud Deos suos conflare, crediderunt ipsi Gentiles.

## VIII.

Unde illud eorum *Præfiscini!* & Taciti dictum, *Pessimum inimicorum genus, laudantes, Agricolâ cap. 41.*

## IX.

Cœterùm, quod dixerat noster *cap. 7. At Roma tuere in servitium Consules, Patres, Eques, quanto quis illustrior, tanto magis falsi &c.* clarissimo indicio probatur, hac in Augustam adulatione.

## X.

Titulum enim illi tribuendum censent Patres, non modò insolentem, sed & mendacissimum: ut quæ Augusti erat uxor, & in Patriæ libertate opprimenda administra callidissima.

## XI.

Ideoquæ *gravis in Remp. mater, mater muliebri impotentia, veris civium vocibus paulo antè appellata, cap. 4. cui serviendum videbant & indignabantur, Ibid.*

## XII.

Meritò itaque Tiberius *anxius invidia*, non tam sua, quàm populi, cujus animos, hujusmodi titulorum in matrem accumulatione, porro irritare non sine ratione verebatur.

## XIII.

Sed & *muliebri fastigium in diminutionem sui accipiens, prudenter adulationem Patrum elusit.* Non enim nisi in uno fastigio Monarchica res stat, nec Majestas divisibilis est.

## XIV.

Quare, cùm Caractacus Brito, quem victum publicè ostentabat Claudius, *Agrippinam haud procul alio suggestu conspici-*  
*suum,*

cuam, iudem quibus Principem laudibus gratibusq; veneratus esset: No-  
vum sanè, inquit Auctor, & moribus veterum insolitum, feminam  
signis Romanis præsiderè, *Annal. lib. 12. c. 37.*

XV.

Quod verò addit: Ipsa semet parti à majoribus Imperii sociam  
ferebat, *ibid.* satis indicat, quantoperè Tiberio opus fuerit ob-  
viàm ire impotentiae matris.

XVI.

Dignum proin perpetuà observatione consilium Boecle-  
rus judicat: Ne Augusta aut Principalis soboles, ac necessitudines un-  
quam honoribus Principis adaquentur, *Annot. Polit. ad h. l.*

XVII.

Unde de Imperio hodierno bene Auctor *Institut. Juris  
Publ. lib. 1. tit. 19. §. 1.* Subditi Imperatoris sunt, 1. Augusta. 2.  
Rex Romanorum. 3. Vicarii Imperii &c. & §. 2. Uno verbo omnes,  
prater Imperatorem, sunt subditi.

XVIII.

Interim, ne offenderet matrem Tiberius, ei Matris Vesta-  
lium elogium, utpote à quo nihil sibi periculi, lubens reliquit.  
Quam propterea pudicarum Vesta matrem vocat Ovidius de Ponto  
*l. 4. El. 13.* Haestenus de titulis Liviae.

XIX.

Addo hoc unum, Hispaniae Angliæque Reges, ante Phi-  
lippum I. & Henricum VIII. Celsitudinis axiomate contentos,  
Serenitatis titulo, non nisi præcipuis Regibus tribui tum solito,  
modestè abstinuisse.

XX.

Nec titulorum solùm insolentiam castigasse sat habens  
Tiberius, ne licetorem quidem ei decerni passus est. Quo tamen  
vulgò sceminæ principes usæ, Vestalium exemplo. Neronis  
quidem mater Agrippina, etiam duobus, infra *lib. 13. cap. 2.*

XXI.

Lictor, à ligando, quoniam isti antiquitus carnisuis officio fun-  
gebantur, ex M. Tullio Nonius apud A. Gellium, *lib. 12. cap. 3.*  
Ligari enim qui castigandi erant, antiquus mos erat: qui &  
in Servatore nostro observatus.

## XXII.

Hi Regibus primùm inferviebant, ipsisque Curuli sella vestis præferebant fasciculos virgarum, intra quas obligata securis erat, ferro in apice extante, in potestatis ac imperii signum: erantque duodecim numero.

## XXIII.

Postea iisdem usi sunt Consules, Prætores, Interreges, Dictatores, aliique Magistratus: Sacerdotes quoque cum Vestalibus, ut Pontifices, Augures, Quindecim-Viri, Flamines; Triumphantes item, quorum curram laureati antecederant.

## XXIV.

Eorum munus porro erat, populum summovere, fores percutere quâ intraturus erat Consul, Curiatis comitiis singulis Curiis officii causa adesse, Comitia calare, Pontifices sacra facturos præcedere artificumque, si forte adsidentes viderent, opus prohibere &c.

## XXV.

Unde & *aditus summotores* Livio dicti: apud quem proin *summoto* incedere, vel *agere* dicebantur Magistratus, & *vacuus summoto locus* ille, qui, per viatores Tribunitios discedere iussa plebe, inter ipsos & Tribunos interlucebat, *lib. 25. cap. 2.*

## S E C T I O P O S T E R I O R.

## XXVI.

Quo sensu de Api bove Plinius *libr. 8. cap. 46.* *Cum se proripuit in cætus, incedit submoto, greges puerorum comitatur, carmen ejus honori canentium.* Pro quo apud Lactantium *dimoto incedere* legitur.

## XXVII.

Paulo diversi & honestiores, *Viatores, Apparitores, Servi publici, Alii*; quorum discrimina & officia hîc accuratiùs indagare non interest.

## XXVIII.

*Aramque Adoptionis*, quâ nempe in familiam Juliam nomenque Augustæ ascita erat supra, & *alia hujuscemodi prohibuit.*

Arae enim usus apud Veteres, non in Sacris tantum, sed & ad conservandam rei alicujus memoriam fuit, V. *Annal. lib. 3. c. 18.* & *57. lib. 1 f. c. 23. alibiq.*

XXIX.

More à Populo Dei mutuato: qui tum lapides ad Ara formam congestos fabricatosque illustris alicujus rei monumentum esse jussit, uti legimus à Rubenitis, Gaditis & Manafitis factum, *Josuae Cap. 22. v. 10.*

XXX.

Tum rudes etiam, quales Jacobus in itinere suo in Mesopotamiam, cum illos disposuisset pro cervicali sibi, dein scalâ cœli per quietem visâ, accepit & disposuit in statuam, vocavitque nomen loci illius *Bethalem*, *Genes. Cap. 28. v. 28. & 29.*

XXXI.

Unde non ritus hic solum inde ad vicinos Phœnices primò, dein ad remotiores Græcos, aliosque, verum etiam nomen *Βατυλίων*, *Batyliorum* & *Batulorum* fluxit, quo lapides hujusmodi informes & impolitas statuas, magnæ alicujus rei indices, sacræ imprimis, denotare soliti sunt.

XXXII.

Sanchuniathon vocat hæc *Βατυλία λίθους ἐμφάχους*, *lapides animatos*, apud Eusebium *Præpar. Evang.* Bochartus vertit *lapides unctos*. Jacob namque *d. l.* lapidem, super quo cubuerat, Deo consecravit, *oleum in summitatem ejus effundendo*, *ibid. V. quoque Genes. cap. 31. v. 13.*

XXXIII.

Et hunc ritum *κακοζήλια* Gentilium imitante: qui eadem ratione *Batulorum* alium alii Deo consecrarunt, *Saturno, Jovi, Soli &c.* Damascius apud Photium: qui etiam de *Bætulis Veneris Aphacitidis* multa miracula narrat, *Biblioth. Cod. 242.*

XXXIV.

In memoriam nempe *Ἐπιφανειῶν* Deorum, quas sibi fingebant: quemadmodum Patriarcha indubitata veri Dei apparitionem hoc memoriali ad posteros testatam voluit.

XXXV.

Nempe & hinc *Θεοπτία* Ethnicorum occasionem cepit, de qua Cicero *de N. D. lib. 2. Præsentiâ sæpè Divi suam declarant: sæpè*

*Sapè vise forma Decorum. E'ndu'las; item E'μφαείας dixerè. Quam  
vocem demum ad Reges Orientis adulatio transtulit, Antio-  
chum, Nicomedem, Tigranem, Arsacem, quos Epiphanes ap-  
pellatos nummi docent.*

XXXVI.

Simile verò quid apud Pontificios in festo Epiphania oc-  
currere, indignabitur quidem, non tamen mirabitur, qui  
magnam superstitionum suarum partem à Gentilibus illos hau-  
sisse observaverit.

XXXVII.

*Aliq̄, hujuscemodi: qualia de Agrippina Claudii uxore  
Annal. lib. 12. cap. 43. carpenio Capitosium ingredi, qui mos sacerdoti-  
bus & sacris antiquitus concessus, & cap. 37. signis Romanis presidere  
&c. Hæc adversus Liviae nimios honores,*

XXXVIII.

*At Germanico Imperatori proconsulare imperium petivit: non  
quale is triennio antè habuerat, apud Dionem lib. 55. sed pro-  
consulare imperium perpetuum, quod inter titulos erat Prin-  
cipatus seu nomen dignitatis Imperatoribus propriæ, ab Au-  
gusto primùm introductæ.*

XXXIX.

*Quemadmodum & Tribunitia potestas; quæ proin am-  
bo conjungit Jul. Capitolinus in Antonino Pio, Adoptatus est - fa-  
ctusq̄, patri & in imperio proconsulari & in Tribunitia potestate collega.  
Atque harum dignitatum originem diligenter exposuit  
Dio.*

XL.

*Ab eadem mente Nero, vivente Claudio, curante Agrip-  
pinâ, Proconsulare imperium extra urbem habuisse legitur, Annal. lib.  
12. cap. 41. Stimulante Claudium Pallante, consuleres Reip. Bri-  
tannicis pueritiam robore circumdaret, cap. 25.*

XLI.

*Hoc enim gradu ad spem Imperii attolli Nero, legiti-  
moque hæredi Britannico anteponi cœpit. Sic ipse Tiberius col-  
lega Imperii, consors Tribunitia potestatis ab Augusto adsumptus, o-  
mnisq̄, per exercitus ostentatur, Annal. lib. 1. cap. 3. & hic Germanico  
Cæsari proconsulare imperium petiturum,*

XLII.

XLII.

Ut viz. *consuleretur Reip.* quod suprà Pallas Claudio dixit: Sic apud Divum Augustum, quanquam nepotibus subnixum, viguisse pri-  
vignos; à Tiberio, super propriam stirpem, Germanicum adsumptum,  
addens, denuoque hortatus, se quoq; accingeret juvene partem cu-  
rarum capessuro, d. cap. 25.

XLIII.

Causam consilii aperit Autor *lib. I. c. 3. cit.* ubi de Augu-  
sto, qui iussit Tiberium, quanquam in ejus domo filius esset,  
adsciscere per adoptionem Germanicum, sed quò pluribus muni-  
mentis insisteret.

XLIV.

Ubi enim certus successor, prava aliorum spes cohibentur, No-  
ster infrà; & plena Caesarum Domus cæptis Sejani moram attulit, *lib.*  
*4. c. 3.* At contra Principis orbitas contemnitur, ut apud Curtium  
Alexander M. queritur.

XLV.

Quos proin maturè rebus gerendis admovere, titulis &  
dignitatibus ornare ac in fastigio sibi proximo collocare, Prin-  
cipibus, inprimis in parto recens Imperio, securitatem ac ve-  
nerationem conciliat.

XLVI.

Quo fine post Drusi filii mortem Tiberius Germanici,  
quanquam invisi sibi, filios adolescentulos, parente orbatos,  
anxiè commendavit Patribus, quòd ita nati essent, ut bona malaq;  
eorum ad Remp. pertinerent, *Annal. lib. 4. c. 9.*

XLVII.

Interim, non eò hæc valent, ut quisquam eorum, qui participatu  
splendoris Imperatorii eminent, vel æquas potentia partes vindicare,  
vel obsequium Principi debitum detrectare possit: manet communicatus  
honorus fiduciarius, Bœclerus *Annot. Polit. ad h. l. V. suprà dicta.*

XLVIII.

Augustus ergo, non contentus perpetua Dictatura,  
omnium Populi Magistratuum, & qui intra urbem, & qui ex-  
tra, (ut Proconsules) imperium haberent, titulis & insigni-  
bus ornari muniriq; è re sua Dominationisq; esse judicavit,

cuncta sic nomine *Principis* sub Imperium accipiens , supra  
*lib. I. c. I.*

XLIX.

Mirum verò, cum & *Tribunitia potestatis* & *Proconsularis Imperii titulus* omnibus Imperatoribus competierit, ac priorum quidem Imperatorum nemo post Augustum prætermiserit ; in Vett. Inscr. sex tantum occurrere, qui *Proconsules* nominentur, Severum, Caracallam, Macrinum, Heliogabalum, Alexandrum Sev. & Aurelianum, Casaubonus *ad Hist. Aug.*

L.

Ut autem & in Sacris summam obrinerent, etiam Pontificatus Max. dignitatem & titulum sibi asserebant. Quæ proin conjungens Alexander apud Lampridium: *Gratias vobis P. C. ait, de Casareo nomine, de Pontificatu maximo, de Tribunitia potestate, & proconsulari Imperio, quæ omnia novo exemplo uno die in me contulistis.*



COROLLARIA.

I.

*Persona non est assumptibilis, sed natura.*

II.

*Anima separata non est persona.*

III.

*Ejus origo immediatè à Deo est.*

IV.

*Notiones communes tum Theoretica, tum Practica nobiscum nascuntur.*

V.

*Qualibet actio, quam penès aliquem est fieri vel non fieri, ei imputari potest.*

VI. Pos-

VI.

*Possunt tamen & ea imputari, qua penès ipsum non fuit, ut adsint, vel non adsint.*

VII.

*Nulla necessitas, ut lex violari possit, efficit.*

VIII.

*Ut res familiaris civium gliscat, sollicitè providendum Magistratui.*

IX.

*Potest tamen aliquando eorum bona, etiam invitis illis, ad publicos usus arripere ac adplicare.*

X.

*Per promissa aut pacta fallere hostem non licet.*

JEHOVÆ SERVATORI GLORIA !

F I N I S.



VI

Teſtati ſunt & ea inſcriptiſſima, quae ſunt ſcripturae  
ſanctae, ut aſſerat, vel non aſſerat.

VII

De illa uero, in qua dicitur, quod  
ſunt in ſcripturae, ut in ſcripturae.

VIII

In quo ſcripturae, ut in ſcripturae, ut in ſcripturae.

IX

Teſtati ſunt, ut in ſcripturae, ut in ſcripturae, ut in ſcripturae.

Teſtati ſunt, ut in ſcripturae, ut in ſcripturae, ut in ſcripturae.

**JEHOVAE SERVATORI GLORIA!**

F. I. S. C. I. S.

